



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Obedientia simplex ac prompta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

futurum dissidij, quoad prouideri potuit, sustulit: præterq; ea, non pauca alia eodem loco è Catholica re perfecit. Haud longo interiecto tempore Vrfula Fuggera iam vidua cum Ioanne Fuggero, aliisq; domesticis Lauretanam, ac Romanã peregrinationem ingressa impetrauerat viã comitem, & conscientiaẽ Iudicem P. Vendelinum Volkium, qui multorum confessionibus egregio cum fructu Augustæ præerat. Existimauit Prouincialis Hoffæus vacuum eius locum relinquere non debere: nec à quopiam absentis vices melius, quam ab Canisio pro autoritate viri apud omnes Augustanos, maximè apud nobilitatem suppleri posse. Id cum Præposito Generali nuntiaffet, statim ille rescripsit, siquidem publice interesset Canisium habere domicilium Augustæ, haberet vtiq;: sed vt iniunctis à Pontifice vacaret studiis, in totum ei à confessarij munere vacatio esset, nisi si vnus cuiuspiam personæ maioris habenda ratio videretur. Sacerdotem itaque alium, quem nominabat, confessionibus destinaret. Hæ literæ quanquam celeriter tamen sero perlatae sunt. Canisius simulac Prouincialis innuerat, absque mora tanquam nihil præterea haberet negotij, aduo-

*Obedientia
simplex ac
prompta.*

aduolarat. Quippe quanquam ex obedientia studiis occupabatur, vitabat tamen errorem, siue improbitatem eorum, qui iussis maiorum Præsidi obiectandis obtentum contumaciæ ex obedientia quærunt: semperque putauit quicquid Prouincialis, aliique sibi Moderatores præciperent, nequaquam id contemptiōnem mandati, sed interpretatiōnem mentis esse Pontificis. Itaque fidenter aiebat, valeant studia, si ab his auocata obedientia, cui me totum debeo. Hoffæus acceptis ab vrbe literis, quandoquidem auditionem iam Canisius confitentium inchoarat, nec longæ erant futuræ vices, nihil retractandum putauit; nec Borgia vrsit.

Hic verò videre licuit vim cælestis illius oraculi, *Energum. cum. dno. liberat.* Virobediens loquetur victorias. Iniunxerat Hoffæus Canisio (qua præcipuè causa vnus omnium lectus idem putaretur fuisse) vt quando in Vendelini locum Augustæ sufficiebatur, inter alia munera, & illud, quod idem inceptarat, susciperet, vt Exorcistam ageret Virginis nobilis. Anna erat Bernhusia, quæ octauum iam annum miserè torquebatur. Sumpsit igitur arma vir obediens, conseruit fortiter manus, & dedit illi victoriam